LEONIS BAVARICI
cum
AQVILA SARMATICA
Connubiale fœdus,

AUGUSTISSIMIS SACRATISSIMISQVE
PRINCIPIBUS

JOHANNI TERTIO,
Poloniarum Regi,
Pio, Magno, Invicto,
&
MARIÆ CASIMIRÆ,
Poloniarum Reginæ,

SERENISSIMAM ac CELSISSIMAM

THERESIAM CUNIGUNDAM,
Filiam Regiam, Poloniarum Principem,

SERENISSIMO atqve POTENTISSIMO
PRINCIPI

MAXIMILIANO EMANUELI,
Duci Electori, Germaniæ Achilli,

Anno M DC XCIV. die XV. Aug.
Solenniter desponsantibus,
humillime gratulatur

JOHANNES SARTORIUS.

THORUNII
STANNO BRESLERIANO.

Celsissimo Principi,

Reverendissimo atque Excellentissimo Domino,

DOMINO

GEORGIO ALBRACHTO DENHOFF,

S. R. I. Principi, Episcopo Præmisliensi,

Supremo Regni Cancellario,

Domino Gratiosissimo.

IN tanto honorum fastigio, nihil æque Te commendat, CELSISSIME PRINCEPS, *quam amplissimæ fortunæ compar animus, moderatio ingens, tum rara magnorum munerum comes, humanitas. Nam pulcherrimas illas dotes reperiri in Te, quæ Præsulem ornant, quæ Magnum Regni Cancellarium decent, nemo ignorat. Et qui eas diffitetur, nec Gentem Tuam assequutus est probe, nec Tua Merita recte expendit, nec Senatoriam in Polonia Dignitatem callet sat pulchre. Istud plane in Te est eximium, Benignitatis Comitatisque divina virtus, quæ tanta est, ut omnes Te merito, tanquam beneficum ac salutare sidus Reipublicæ venerentur, & in Clientela Tua suas fundari ac efflorescere sentiant felicitates. Etsi enim in alto positus sis, infimorum quandoque necessitatibus misceri, partem gloriæ non ignobilem æstimas, & benigno oculo supplicum afflictam intuens sortem, omnem Tuam potentiam miseriæ erigendæ impendis. Quæ singularis Tua Virtus ita me erigit, ut Panegyrin hanc gratulatoriam, auspiciis Inclyti Magistratus Thorunensis publice dictam, ad Tuos pedes venerabundus etiamnum deponam, sat decoris illi accessurum confidens, si vel Tuo Nomini inscriberetur. Cui enim Auctoritas Tua non*

inpri-

inprimis gravis videatur, cum a tanto Antistite, ac maximis rebus gestis emanet. Sive enim Regis mentem & sententiam explicas, Rege dignum Oratorem Te praebes; sive in Senatu Reipublicae consensum tueris, hujus Auctoritas in Te relucere videtur; sive inter magna Reipublicae Capita versaris, ut augustus emines, ita omnium oculos in Te convertis. Quare subjectissima, qua par est, cervicis inclinatione a Te contendo, ut qualemcunque hunc sermonem, Celsissimo Tuo Splendori se devoventem, gratiose accipias, & me, humillimum servum, de Tua Gratia, hujusque beneficio, de REGIS Clementia, certum esse jubeas, securumque.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS
TUÆ

humillimus servus

Johannes Sartorius.

Certus amor, robuſta fides, conſtantia mentis
Nec frangenda malis, nec ſuſtollenda ſecundis;
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
Supplicibus facilis, juſtis pius, aſper iniqvis,
Fortis ad inſtantes caſus, prudensqve futuri,
Præteritiqve memor, ſociis bonus, impius hoſti:
Hæc ſunt, o Proceres, hæc ſunt, quæ regna tueri,
Et munire ſolent; his artibus infima creſcunt,
Maxima ſervantur.

SÆpe mecum miratus ſum, *Auditores omnium Ordinum Honoratiſſimi*, cum tam protervi ſint hominum mores, audax, & in arrogantiam arrecta frons, ſenſus abditi, anceps lingva, mens novandis ac moliendis rebus apta, animus ſui æſtimator, aliorum acerrimus cenſor: tum viciſſim in aliis ſplendor natalium, hauſta ſangvine majorum virtus, excelſa indoles, pectus generoſo honeſto incoctum, domi foriſqve prudentia, clientum favor, opes, robur, potentia: ſæpe, inquam, miratus ſum mecum, ſuam tamen Principi

majeſtatem conſtare; Illi imperii, civibus obſequii gloriam relinqui: prorſus, atqve ſolis Principibus imperandi, cœteris mortalibus parendi neceſſitatem natura feciſſet. Nam quod pleriqve ſolo metu contineri imperia cenſent, ſub tyranno ſe vivere, non ſub principe produnt. Tiberiana hæc vox eſt; *oderint, dum metuant*. Tuetur quidem ferrum principem, ſed melius fides. Violenta nemo imperia continuit diu: planeqve certum eſt, multos timeat, quem multi timent. Rebellare docet regna, qui ſemper terret: timorqve ab ingenuis extortus, & gravia reddit imperia, & inviſa. Quo magis ſocordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentia credunt extingvi poſſe etiam ſequentis ævi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliſcit autoritas, neqve aliud tyranni reges, niſi dedecus ſibi, atqve illis gloriam peperere. Quare ita animum induco, præter illam Numinis vim, *per quam Reges regnant, & dominatores decernunt juſtitiam*; quendam divinitatis ſenſum Principibus eſſe inſpiratum, ut vel cunæ puerorum in purpuram natorum, tacita confeſſione ſortis noſtræ nos tangant; nec iis parere indignemur, quos, priusquam lucem ſubeunt, ſcimus naſci ut imperent. Nempe, in Principibus natura reveretur beneficium ſuum, nec audet hærede maculoſo dedecorare illuſtrem ſangvinem, quem parentibus impertivit. Quid? quod ipſe ſangvis auguſtis facinoribus illuc ſtratus, pectus ignobile dedignetur: virtusqve ipſa, a qua toties pulchre incaluit, malit illi commiſceri, quam aut corrumpi libi-

dinum

dinum face, aut congelari ignavia, aut desidia veternoqve marcescere. Quo fit, ut quemadmodum de Pactolo ferunt, eum terras auri feraces sic eviscerare, ut ramenta pretiosi metalli in suum alveum deportet: ita & excelsus sangvis, transmissus per Regum ac Principum pectora, ut fertile solum virtutis, eosdem illos spiritus in filiorum sinum devolvat. Etenim unde illa in Regibus immatura virtus & præcox? nisi quia quod reliqui fiunt, gignuntur ipsi, & quod cœteri discunt, id a parentibus nascendo exprimunt. Celsitudinem sangvinis pietas decorat, arcana vi civium animos flectens. Certum id est, æstimatione populi principum autoritatem stabiliri. Illa vero pietatis cum divinitate commercio comparatur. Eam ut obtineret Zoroaster, a ficta cum Homosi conversatione mendicavit: a Jovis commercio Minos; a Saturni affectu Charondas; ab Apollinis amicitia Lycurgus; a Minervæ societate Solon; ab Ægeriæ frequentatione Numa; a Vestæ inspiratione Zamolxis; a Gabrielis alloqvio Mahometes; omnes ab adscititia larva mentitæ divinitatis. Despicit hæc deorum monstra uni DEO vere deditus Princeps. Novit se & regna soli DEO subesse: hujus nutu & stare imperia, & everti. Hinc primum bene regendi momentum a pietate arcessit, quæ illi quietem non concedit, nisi in centro. Novit, reges a subditis impensius coli, qui impensius Deum colant: hinc eos trahere formam obseqvii, cum ita statuant, non sibi diligentius parendum mortali homini & caduco, quam ipse Regis æterni

terni

terni decretis obtemperet. Ultimum illi complementum virtus impertit, si cum natura Principis tam apte consentiat, virtus ut in naturam pene transierit, natura in virtutem. Habet hoc proprium excelsa Principum conditio, ut eorum acta agendorum sint regulæ, & qua procedunt ipsi, cives pulcherrimum arbitrentur, se mox sequi debere. Ad exemplum Principis orbis componitur; ut vestigia hujus fuerint, sic se habebunt civium passus. Illuc concurrit subditorum industria, quo præcesserint Imperantium exempla & facta. Nam qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid socordia commisere, pauci sciunt; fama atqve fortuna eorum pares sunt: at qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia est. Fit inde, ut quicquid faciunt Principes, præcipere videantur: & quod non valent imperiis, expugnent exemplis. Si temperantiæ studuerit Princeps, emaculabit luxum populus. Si fortitudine incaluerit; ecquis ignaviæ gelu concrescet? Justitiam administrabit; quis temerarius in scelera ruet? Utetur clementia; quis excandescet furore? Vigilans fuerit; quis impune in pericula stertet? Veritatem amabit; cedo assentatorem, qui per alterius famæ ruinam audax grassetur ad propriam?

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Utqve ducum lituos, sic mores castra seqvuntur.

Mittamus verborum ambages, *Auditores*, verba factis illustremus. Qui Sacram Regiam Majestatem

tem Tuam venerabundus intuetur, Potentissime Poloniarum REX, Domine, Domine noster Clementissime, illumqve apud socios Reges amorem, apud exteras gentes venerationem, apud cives Tuos obseqvium, apud barbaros hostes terrorem, altius secum expendit, haut invitus meæ sententiæ adjiciet calculum. Et collata & innata Majestas Tuam purpuram decorat. Illam genti Sarmaticæ, hanc gens Sarmatica Tibi debet. Utramqve accepisti, ut Patriæ filius, utramqve jam obtines ut Patriæ Pater. Si Tibi in hæreditario regno nasci contigisset, regnum Tuum acceptare, non fortunam duxisses, sed debitum; nec Te magnum orbis credidisset, quem sors nascendi creasset Regem. Nunc vero, quia illud Regnum, quod nulla ratione hæreditati debebatur, ad Te delatum est, neminem non in admirationem rapis Tua virtute; nec est ullus, qui dubitet maximum Principem Te haberi, qui tam liberrimæ gentis censura dignus judicatus es, ut, quot civibus Tuis, tot dominis imperes. Quanquam, quod Majestati Tuæ decus afferat, non solius Reipublicæ, sed naturæ Tuæ beneficio debes. Quis enim mihi non assentiatur, virtutes omnes in augustissimo pectore Tuo domicilium posuisse? Illud quidem in aliis experimur, iis angustiis circumscriptam esse hominũ mentem, ut non nisi ægre plures simul virtutes admittat, & vix etiam Heroes singulos, virtutes singulæ commendarint. Domitor Asiæ Alexander a magnanimitate pridem Magni nomen indeptus est: cœterum idem ipse ingentia animi bona, illam in-

 dolem,

dolem, qua omnes Reges anteceſſit; illam in ſubeundis periculis conſtantiam; in rebus moliendis efficiendisqve velocitatem; in deditis fidem; in captivos clementiam; in voluptatibus, permiſſis quoqve & uſitatis, temperantiam; haut tolerabili vini cupiditate fœdavit. Prudentia in rebus gerendis Fabium Cunctatorem nobilitavit, ſed nec effugit timidi famam. Verſatur in omnium ore juſtitia Ariſtidis, ſed idem in perſequendis inimicitiis intemperantior, juſtitiæ laudem exilio Themiſtoclis obſcuravit. Fortitudinem Cæſaris ſubactus orbis prædicat: dehoneſtant cupiditates, quibus ſe conſtringendum, ille tot gentium victor animus mancipavit. Summus fuit in Pompejo rerum omnium modus: prudentia deeſſe viſa eſt, illaqve ſagax venturi temporis interpres, cautio. Ita dure reſtricteqve nobiſcum egit natura, ut in ſumma ſignificatione propenſiſſimæ voluntatis, animus ille parcus, ſuorumqve bonorum tenax, novercam proderet.

Noſter JOHANNES III. Principum glorias in compendium traxit, Anteceſſorum laudes coegit in proprias, Majorum ſplendorem geminavit in ſuo: & tantum unus in ſuæ vitæ contulit apparatum, quantum generoſæ claritatis numeroſiſſima multitudo diſcerpſit in partes. Enimvero, non ſe illi virtus per partes infudit, ſed cum ſe totam in pectus heroicum demiſiſſet, illius amplitudinem vix implevit. Quis ille fundus, & quæ omnino in mente Regia tanta capacitas? & tamen recenſe ſingula animi ornamenta, quorum ſplendore viri Principes in memori-

mori-

moriam poſteritatis ſumma cum laude immigrarunt: reperies, quæ illi partita ſigillatim non niſi ægre totis animi viribus occuparunt, ita JOHANNEM TERTIUM acervatim comprehendiſſe, ut uno complexu partes omnes devinciret. Deſideras pietatem? Ea vero maxime in Illo effulget,non inducta ad ſpeciem, non ficta ad fraudem, non ad aucupium inſtituta; ſed ſangvinis & ſucci plena; tam procul a faſtu, quam a ſimulatione remota. Prudentiam demiraris? & illa jam olim in adoleſcente ſe feliciter adeo extulit, ut videretur in ætate immatura, ſuam maturitatem & canos conſeqvuta. Sciſcitaris de fortitudine? hoſtes conſule, acceptis tot cladibus mitigatos. Atqve ille tot palmis clarus, quot bellis petitus, perpetuus ſui victor exiſtit. Adjunxit quippe ad fortitudinem militarem, illam aliam paccatam atqve domeſticam, qua nec animum in victoria extulit, nec paſſus omnino eſt modeſtiſſimos mores nimia felicitate corrumpi. Triumphavit plus vice ſimplici, neqve tamen quicquam de modeſtia ſingulari hæc diuturna fortunæ indulgentia delibavit; nec aliena calamitas, nec felicitas propria majores ei ſpiritus attulit; cum ejusdem eſſe non crederet, invictos exercitus campo fundere,& inſolentia victoriæ domi confundi. Sæpe malevolorum perfidia laceſſitus fuit; ita coercuit, ut in pœna decernenda non animum ulciſcentis, ſed emendantis duntaxat præ ſe ferret. Siquidem ultionis contumelioſiſſimum genus eſt ratus, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio. Qua

qui-

quidem moderatione tam incredibili, cum virtutes cæteras ſic illuſtrarit, ut nihil illi ad ſummam laudem deeſſe poſſit, mirari deſino, quid ita plus videatur uni Clementiæ, quam cœteris detuliſſe. O mentem Regiam! non illam quidem virtutum ſedem, ſed ſi dicere fas eſt, ex virtutum omnium concentu compoſitam. Quod Druſus olim nimis ambitioſe optabat, Tibi rectius, *Auguſtiſſime* REX, quærenda eſt Regia, in quam liber ab omni parte proſpectus pateat, quia nihil agis, quod cum laude patere non poſſit. Hoc unum Tibi non licet in ſumma fortuna, latere ut poſſis. Tua Te virtus orbi prodit, quodve prohibere non potes, factis tangimus.

Factis omnino cuncti tangimus. Loqvuntur tacita communis Patriæ ſuffragia, quam altas radices apud ſingulos egerit excelſiſſima indoles Tua, dum Sacra Sanctaqve Majeſtate ſocios in amore, clientes in fide, cives in obſeqvio, omnes in Tui reverentia defixos habes. Nec immerito. Habent enim, (de Tuis primum Civibus mihi liceat loqvi) habent in Te non modo optimum Regem, ſed Parentem plane piiſſimum, talem nempe, qui pretium acciperet, quo nullum dignius Principe, omnium puta amorem & pectora. Quam quidem gloriam jam pridem Tibi publica fama aſſeruit, non ea, quam ſervilis genuit adulatio, quam educat artificium, quæ pretio venalis eſt. Meliorem originem ducit communis de Te opinio, naſcitur inter egregia Tua facinora: eorum eſt beneficium, quod vi-

vit,

vit, quod ubiqve colitur, per omnium ora volitat; eamqve ob causam virtutibus Tuis non extortam metu, non redemptam pretio, sed amore voluntariam, & fidelem operam præfert. Quid? quod Majestatis Tuæ splendor intra Sarmatiæ fines condi nequeat, sed fulgidissimi instar sideris nativæ Serenitatis radios quam latissime spargat, exterorum Principum, Regum, Imperatorum affinitatibus intermistus. Concaluit gaudio pectus nostrum, dum paucis retro annis, *Serenissimum Filium*, JACOBUM LUDOVICUM, auspicatissimis cum *Serenissima Principe*, HEDWIGE ELISABETHA AMALIA, *Comite Palatina Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Duce*, nuptiis, in maximorum, quotquot Europa veneratur, Principum affinitates immigrasse intelleximus. Nunc recens ac vocalior nos incessit lætitia, posteaquam Te Sibi Socerum expetit *Fortissimus Germaniæ Achilles*, MAXIMILIANUS EMANUEL, *Utriusqve Bavariæ, & Superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, Sacri Romani Imperii Archidapifer & Elector, Landgravius Leuchtenbergensis*, Principum sui seculi Phoenix. Hæc nimirum sunt præmia Tuæ Pietatis, *Clementissime* REX, hæc sunt digna rarissimarum Virtutum Tuarum redhostimenta, quæ benigna manu in Te confert propitium Numen, ut tali ex pretio æstimemus Merita Tua, a DEOqve nobis datum Te polliceamur, quem tanta felicitate exornat DEUS. Merito proinde in publicas aggratulationes solvuntur Tui, conceptamqve animo lætitiam vultu pro-

 dunt.

dunt. Prussia inprimis lacertos movet, atqve in ea metropolis hæcce, quæ ut fidelitate erga Regem suum stat illibata, ita communem gestientis Patriæ lætitiam suo calculo probat; simul autoritate, qua pollet, solennes in hoc Musarum domicilio nuncupandos applausus decrevit, qui tantæ quidem Nuptiarum festivitati suo jure debentur. Vos, *Magnifici Proceres*, quorum auspiciis splendidissima hæc panegyris est coacta, Vosqve *Auditores omnium ordinum Honoratissimi*, favete lingvæ, mihiqve *de Hieroglyphico Leonis Bavarici cum Aqvila Sarmatica connubio* disserenti, adeste æqvis animis, affectibus, censuris. Me audentem hac in cathedra pietas fecit, qui satius duxi quomodocunqve dicere, quam, cum non dicere flagitium est, tacere velle.

NUpsit Aqvila Sarmatica Leoni Bavarico, ætheris Hera Heroi terrarum, par pari. Quam venuste sacro huic fœderi servit inscriptio: *Thalamo junguntur eodem.* Leonem & Aqvilam tria præ cœteris animantibus clare commendant; Ortus, Habitus, Indoles. Iisdem ex fontibus sua Serenissimis Neo-nymphis encomia constant. Leonem fortissimis parentibus genitum, apertis oculis nasci, Lucarinus observat; ita prudenter ordinante natura, ne quidquam primum sui sub ortum caligaret princeps oculus, cujus mox obtutum cœtera animalia formidarent. Neqve dispar Aqvilæ ortus. Nascitur parentibus fortissimis, nido inter abruptas rupes posito. Nescit hebetatam oculorum aciem. Irretortis

oculis

oculis Solem aſpicit, tum demum genuina proles habita, ſi parentum ungvibus Soli expoſita, neqve fulgorem illius defugerit, neqve caligaverit ad immenſum lumen. Reſpexit huc ſolertiſſimus Vates, Aqvilæ pullis ad Solis diſcum periclitatis, nequidquam tamen declinantibus viſum, talem a contrario ſuperaddens epigraphen: *Degeneres animos timor arguit.* Alter vero, doctiſſimo carmine rem ita expreſſit:

Cernis, ut alituum princeps, fulvusqve Tonantis
Armiger, implumes & adhuc ſine robore natos
Sollicita refovet cura, pingvisqve farinæ
Indulget paſtus: mox ut cum viribus alæ
Veſticipes crevere, vocat ſi blandior aura,
Expanſa invitat pluma, dorſoqve morantes
Excipit, attollitqve humeris, plauſuqve ſecundo
Fertur in arva, timens oneri, & tamen impete preſſo
Remigium lentans alarum, incurvaqve pinnis
Vela legens, humiles tranat ſub nubibus oras.
Hinc ſenſim ſupera alta petit: jam jamq; ſub aſtra
Erigitur, curſusqve leves citus urget in auras,
Omnia pervolitans late loca, & agmine fœtus
Fertqve refertqve ſuos vario, moremqve volandi
Addocet. Illi autem, longa aſſvetudine docti,
Paulatim incipiunt pennis ſe credere cœlo
Impavidi. Tantum e teneris valet addere curam!

Gentilitius Leo Bavaricus quantum auguſtis natalibus portendat felicitatis, quis non facile intelligit, qui conſilium naturæ & vim, ut in animalibus cœteris, ita procreandis liberis eam eſſe cogitet, ſimilem

lem ut sibi fœtum effundat parens, seq; in eo quodammodo repræsentet totum. Rapimur, *Auditores*, cupiditate immortalitatis. Hanc ut conciliare nobis memoria recte factorum, monumentorum magnificentia, æris marmorisqve perennitate,omni industriæ genere ars studet; sic natura non rudia hæc tantum vestigia hominis, non emortuum, non exterius, non caducum simulacrum quoddam, sed expressam, intimam, vivam, spirantemq; in progenie imaginem parentum informat, ut perennem in illa vitam feliciore conatu propaget. Spirat sane in prole genitor, cernitur in vultu, auditur in voce, in factis agit, in virtutibꝰ commendatur. Quamobrem vitam primum parentibus debeant liberi quidem; sed vitam deinde liberis quodammodo parentes debent. Hi delibata particula quadam sui, vitæ primitias, dum viverent, filiis dedere; illi vegetum ævi robur procreatoribus pene redivivis, & quasi de morte triumphantibus etiam post funera restituunt. Hi naturam suam, ingenium, mores, infantis infusos corpusculo texerunt;efferunt illi in apertum eadem, neqve jam sibi, quam parentum æternitati ætatem agunt. Itaqve speculum FERDINANDI & HEINRIETTÆ ADELHEIDIS Parentum MAXIMILIANUS EMMANUEL est,cui parem ac geminam tum corporis, tum animi præstantissimi formam eo ingenerarunt expressius, quod & Principum sangvis constat fere sibi, neq; ab eximiis parentum dotibus, nisi ægre deflectit; & eandem prope ad miraculum effingit multiplex & inusitata

pla-

plane ejusdem ſangvinis communio. Atqve ut magnum iſtud eſt, haurire vitam ab eo ſangvinis fonte, quo nobilior eſſe non poteſt; ita majus omnino, ejusdem ſangvinis ardore ad omnem virtutis præſtantiam exardeſcere; maximum, illam ipſam ſangvinis celſitudinem a virtute unica repetere. Hæc vero Tua laus eſt, *Potentiſſime Elector*, ſic excoluiſſe omnes naturæ dotes, ut ignoremus, plusne illa Tibi debeat, quam Tu ab illa acceperis. Quicquid Bavarico, quicquid Auſtriaco & Sabaudico ſangvini, a quorum altero Genitores Tuos, ab altero Genitrices, multa annorum ſerie repetis, generoſiſſimæ virtutis incoctum fuit, pleno alveo in Te confluxiſſe miramur. Tu *Ludovicos quartos*, Tu *Othones Magnos*, Tu *Erneſtos*, *Albertos*, *Wilhelmos*, *Maximilianos*, (at qvanta Parentum Majorumqve Tuorum nomina!) attigiſti gloria, æqvaſti felicitate, fama ac virtute ſuperaſti. Vix in lucem excluſus, patentibus oculis, ut Leonem decet, ferebaris ad virtutem: unam hanc appetebat intenta oculorum Tuorum acies. Nihil invenit moderatorum manus in indole Tua, quod vel emendaret, vel evelleret. Anticipaverat omnia præcepta diſciplinæ, illa naturæ ignea vis, qua a primo Tui ortu ad verum & immortale decus Tua ſponte graſſabaris. Quam multos reliqviſti ad carceres, qui idem Tecum ſtadium ingreſſi fuerant; reliqvi, qui Te ſeqvuti ſunt, quam longo intervallo veſtigiis Tuis inhæſerunt. Omnes non ingenio tantum, quod facile creditum, ſed labore etiam & diligentia viciſti, quia magis intererat Tua,

quam cœterorum ad virtutem eniti. Quid ita? quoniam privatorum virtus in uſum privatum redundat: ex Tuis laboribus vix ullam hodie Europæ aulam noverimus; quin fructum aliquem ſibi polliceretur, hæc quidem jucundi, commodi alia, iſta honeſti. Maceraſti florem ætatis pertinaci labore; & prætextatos admodum annos, quos inter nutricum blanditias pleriqve transmittunt, Martios inter pulveres extraxiſti. Quod eo magis mirum videtur, quia in tanta laboris contentione nihil video, unde urgeri poſſis, niſi generoſa quadam & nobili in omnibus excellendi voluntate. Quosdam inopia ac temporum diritas ad laborem compellit; Tu Princeps es. Quosdam ſeveritas ac ſupercilium magiſtrorum; quibus Tu magiſtris uſus es, haut tantum jus ſibi arrogare ſunt auſi, quin ſæpius Te Principem eſſe meminerint. Et tamen cum Princeps ſis, cum parendi niſi voluntaria neceſſitate compellaris, ea magis magisqve aſſiduitate flagraſti, ut privatos omnes non minus diligentia quam dignitate ſuperares. Recte enim illud de vetere Perſicorum diſciplina Principum Tuum feciſti, uti nunquam, niſi labore attritum defeſſumqve corpuſculum, cibo ac ſomno recreares. Ejuſmodi illa priſcis temporibus fuit vetuſtiſſimorum Heroum, ac celeberrimorum Principum educatio. Sic apud Chironem Achilles, flosqve Græciæ maxime totius, duriſſime olim minimeqve luxata diſciplina habiti feruntur. Et, ut a fabulis diſcedam, ab iis tolerantiæ ac virtutum primordiis ad tantum ſplendorem Alexandri

fortu-

fortuna progressa est. Nec dissimilia utriusqve Africani fuerunt sub fortissimis parentibus rudimenta militiæ. Per hæc eadem Hannibalis virtus summum in bellicosissimæ gentis, ac potentissimi imperii terrorem excreverat. Quorum omnium gesta atqve præconia, non, quemadmodum facere Oratores amplificando sveverunt, Nostri illius laudibus etiam aliquanto minora constituam. Salva cuiq; sua sit virtutis ac dignitatis existimatio. Non est hujus præsertim ingenii, ac tenuitatis meæ, præstantissimorum hominum dissimillimis in rebus similem fortassis gloriam atq; industriã contendere. Sed hoc tamen non dissentientibus ullis obtinebo, vix quenquam extitisse, qui asperrimis tempestatib9, aut pulsatus crebrius, aut violentius lacessitus, usq; eo constanter fortiterqve discussis ac superatis omnibus emerserit. Hærent adhuc in animis nostris exulcerata tempora, cum quibus vicinæ Germaniæ erat conflictandum. Fremebant omnia armis virisqve; quocunqve aspiceres, gliscebant exitiales bellorum flammæ. Quid tum postea? atqvi hac ipsa conclamata tempestate amisit subito Parentem Noster, hoc ipso afflictior, quod cum ætatem regiminis, ab Aurea Bulla definitam, nondum attigisset, sub tutela Patrui viveret. Emersit tamen sese feliciter malis hisce, & ita emersit quidem, ut Illius auspiciis Germana Soror, *Serenissima Princeps ac Domina, Domina* MARIA ANNA CHRISTINA in Potentissimi Galliarum Delphini Thalamum; Germanus Frater, *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus*

JOSE-

JOSEPHUS CLEMENS, in Electoralem ac Archiepiſcopalem Colonienſem, tum nuper admodũ in Epiſcopalem ac Principalem Terræ Leodienſis dignitatem; Ipſe in faſces Hæreditarii Electoratus, quodve Auſtriacæ Domui acceptum ferendum eſt, in perpetua hodie Belgii Hiſpanici gubernacula, ſplendidiſſime ſuccederet. Talem ſcilicet ortum ſibi vendicat Boicus ſangvis, ex hoc ungve noſcitur Leo Bavaricus, vel ſolo hoc nomine magnus dicendus, quod in tanto potentiæ ac fortunarum faſtigio, parem ſibi ab Aqvilarum connubio gloriam peteret, ne illis quidem regionibus terminandam, quas altiſſimo volatu Regia iſthæc tranſcendit avis. Fatemur, *Sereniſſime Elector*, ad ſplendorem Electoralis thalami nihil illuſtrius accedere potuiſſe, quam ubi Romanam ſeqvutus Aqvilam, conſummatiſſimi exempli Principem, MARIAM ANTONIAM, LEOPOLDI *Imperatoris*, ad invidiam Magni, Filiam, Tibi Conjugem expeteres. Nihil non in tanta Domo auguſtum. Fœcundisſima Archiducum, Regum ac Imperatorum mater Auſtria, hæreditario ſemper jure, per *Rudolphos* & *Albertos*, *Fridericos* & *Maximilianos*, *Carolos* & *Matthias*, *Ferdinandos* & *Leopoldos*, inoffenſam ad hæc noſtra tempora transmiſit felicitatem. Sed quia tantum pignus cœlum repetiit, cœlum vicisſim Tuo Thalamo velificatur, parem decedenti Aqvilam ſurrogans. Illa enim ex gente novam Tibi Electricẽ elegit Cœlum, cujus quondam Principis regiam, nunc primi Antiſtitis ſedem, erexit nidus regnatricis avi-

um.

um Aqvilæ, felix naſcentis imperii omen. A nido nomen adepta eſt civitas, avis inſigne regni permanſit. Quicquid in generoſa hac Gente vides, Aqvilam ſpirat. Frons, oculi, vultus, robur, genus, ingenium. Reliqvarum gentium eſt, nictare ad Majeſtatis ſplendorem; huic aqvilinum & viſum & motum indulſit natura. Libertate nativa gaudet: hac munita cœlum petit: clare factorum memoriam non a gleba telluris, ſed inacceſſæ gloriæ cacuminibus petens. Jam vero in natales Electricis Sponſæ operoſius inqvirere, & temerarium foret, & inſolens. Verſatur in publica luce Parentum virtus, quorum ſangvine ita vivit, ut Iidem Ipſi Ejus in moribus vivere videantur. Præclarum eſt nobilitatis ſtemma, cum non modo ſangvis, ſed etiam virtutes ad poſteros tranſeunt: præclarius, ſi virtuti ſuffragium forma addiderit; quæ licet fortuita & inania putentur, tamen plurimum venerationis acqvirunt. Ædes exquiſitius cultæ indicium faciunt non ignobilis hoſpitis. Species corporis eſt quoddam mentis ſimulacrum. Atqve ut ſumma eſt deformitas, cum a formoſo vultu degenerat animus; ita ſuprema eſt pulchritudo, cum venuſtati frontis reſpondeat majeſtas animi. Talem vero natura efformavit *Sereniſſimam Electricem*, ut & virtutem forma, & formam virtus decoraret.

Innato fulgore nitet, ſunt lumina Solis;
In roſeis eſt forma genis, ſunt frontis honores:
Ridet in ore Venus, decor in cute, purpura labris;
Splendet ebur collo.

 Dice-

Dicerem libenter, in fronte Ejus omnem veris pulchritudinem efflorescere, omnes in ore gratias innatare, velut in portu. Taceo reliqvos faciei ductus, tam affabre, tam ingeniose a natura expressos, ut nulla artificis manu satis feliciter pingi, ne dum ad aures deferri possint.

Sed, quo magis Aqvilarum & Leonum ortum contueor, hoc me amplius in sui admiratione defixum tenet suppar illorum Habitus. Et Leo qvidem, quantus quantus est, ita comparatus est corpore, ut singulæ partes summæ fortitudinis sint indicia. Patens vultus, pectus validum, juba per armos & colla rigescens, latera robusta, ungves cataphracti, oculi terribiles, cunctabundus incessus, quodve caput rei est, os intrepidum. Acute Seneca: *Impetu acer dicendus est leo, speciosus ex horrido, cujus hic decor est, non sine timore posse aspici.* Quod adeo vere mihi dixisse videtur, ut vel præ senio viribus effœtum, faciei tamen majestas commendet, juxta istud Poetæ:

— — — *Qualis Leo rupe sub alta*
Quem viridem quondam silvæ montesq; tremebãt,
Jam piger, & longo jacet exarmatus ab ævo,
Magna tamen facies, & non adeunda senectus.

Idem prorsus aqvilæ, quod leoni ex habitu decus. Fulminantes oculi, rostrum ferox, alæ prægrandes, pectus torosum, ungves solidi, volatus udam tellurem despiciens, & vel contumacissimas inter cœli injurias Solem petens. Nam, quæ Poetarum fabulas sapiunt, sponte prætereo. Quale istud est, defunctorum Imperantium animas ejus remigio in

cœ-

cœlum portari, esse Jovis armigeram, tela trisulca a Vulcani sociis inter Ætnam fabricata illi perferre, & sexcenta id genus. Tetigit hæc commenta nitidissimus Vates, dum canit:

Qualis ubi si forte Jovis, si forte deorum
Conciliis agitata sagittifer imminet ales,
Nunc spissum transverberat aera, nunc cata tendit
Per vada, per spelæa, per insolitos secessus,
Mulciberisqve petit limen, tum Brontea rostro
Arma rapit, rapit arma, poloqve asportat herili.

Talis quidem est animalium habitus: nobis Principum vultus videndi sunt. Boicus Leo parem in Te, *Serenissime Elector*, sibi Habitum vendicat. Proposuit in aditu veluti atqve vestibulo natura faciem eximiam, ac dignitatem oris: educatio integritatem & pudorem addidit, unicum pulchritudinis præsidium atqve ornamentum. Illa nobilitatem collocavit in atrio inter infinita Majorum Tuorum stemmata; hæc probitatis erexit imaginem, cui nobilitas ipsa sese submitteret. Illa præstantem hanc indolem, hæc indoli virtutem induxit. Illa deniqve felicissimum ingenium prope ad miraculum naturæ tribuit; educatio omni scientiarum cultu liberaliter ornavit atqve instruxit. Fuit illa ambitiosa contentio naturæ cum educatione, Tuæ gloriæ toto conatu allaborantis. Utra vicerit, nihil interest, quia ad Te unum triumphi & victoriæ gloria pertinet. Damus tamen primum naturæ locum, qvia prima manum operi admovit. Et quidem illa Tuæ frontis majestas, quam primum oculis subjicit, satis ostendit,

dit, ſanctiſſimos receſſus hoc aditu claudi, uſq; adeo mentem ſacro quodam ſenſu venerationis implet ac occupat. Nec mirum, ſi vultus Principis ſpiret majeſtatem, & amorem inſpiret pulchritudo Tua: ſi recte ſentire volumus, imago virtutis eſt in vultu Tuo ſeſe pingentis. Etenim ille candor fuſus æqvaliter in omnes oris partes, ac molliter intermicanti rubori ſubtractus, innocentiæ color eſt, ſed vividus & nitens, quem nulla conſcientia ſuſcepti dedecoris polluit. Quid dicam de conformatione corporis? cui pondus & tarditatem ademit celeritas ingenii, molem ſubtilitas, maturitas inconditos motus, venuſtas indecoros. Quicquid agis, decet; idqve eo magis, quod totam palæſtram corporis naturæ debes. Nimirum illa ſui operis conſcia, in ſtructura membrorum Tuorum, non auſa eſt vitium facere, quæ tot virtutibus domicilium elaborabat. Aptabat manum gladio, lingvam imperiis, frontem majeſtati, oris totius ſvavitatem veluti aram amori publico conſecrabat. An igitur errare potuit in tam egregio opere, quæ ſimilitudinem pulcherrimæ mentis ſequebatur; in qua nihil intueri poterat, præter lineamenta virtutum? Leonem ſpirat vibrantis oculi jactus acer, & grato quodam faſtidio imperioſa frontis ſeveritas. Intrepidi oris alacritas, vegetusqve modus indicium affert actuoſæ mentis, corpus ſuum fatigantis. Nec tamen molliorem habes idcirco conjectum oculorum: poteris, cum voles, adducere ſupercilium, exercere ſeveritatis telum, & jacere fulmina. Jam vero in Tua laude non tantopere

pere

pere posuerim dignitatem illam oris, heroicum vultum, nervos, lacertos, robur, quæ tamen Imperatoribus priscis præcipuum decus attulerunt: nisi robustior multo erectiorqve, ac prope divina mens e vultu Principis, totoqve corporis habitu emicaret. Vos hic appello, Electorales Ministri, quibus Principis animus patet, Vos exterarum gentium Legati; Vos, quibus arcana provinciarum negotia Princeps concredidit, vestra hic judicia, aut quotidianas potius admirationes exponite. Quis facile extitit aut maturior ad judicandum, aut ad providendum perspicacior, aut ad intelligendum celerior, aut acutior ad excogitandum? Perplexa & impedita occurrũt; acies ingenii explicat: obscura? illustrat: lubrica? firmat: improvisa? occupat. Quis robur illud animi non obstupescat, quod gravissimarum rerum molem ita sustinet, ut ne nutet quidem? Quis amplitudinem, quæ varietatem innumerabilem ita comprehendit, nihil ut perturbetur? Quis tranqvillitatem, quæ continuis negotiis ita patet, ut otiari prope perpetuo videatur? Ecquis in mandatis prudentiam, gravitatem in responsis, consilium in deliberationibus, in civium postulatis memoriam, providentiam in futuris, in omnibus mentem humana majorem non suspexit? Hæc sunt, *Auditores*, quæ in tam egregio Principe quotidiano usu mirantur Bavari; socii sinceris laudibus gratulantur; formidant, si qui sunt, æmuli; omnes conspirantibus sententiis profitentur: ut neqve adulationis adhærescere suspicio qveat in tanta celebritate, neqve

amplificandæ rei locus in tanta excellentia relinqvatur.

Nobis vero gente vel animo Prussis, deprædicandus omnino est Aqvilæ Sarmaticæ habitus, laudanda oris corporisqve venustas, in Heroina Electrice præfulgens. Quem enim non percellat explicatæ frontis augusta dignitas, Regia oculorum superbia, lepores gestuum, verna genarum jucunditas, oris constantia, illa deniq; serenitas per omnem vultum comiter sparsa. Qui habitus ut Heroinas potissimum decet, tum nescio quid grandius ejus animo insinuaverit natura parens, quod & inter blandientis fortunæ illecebras enubilatam faciem, & inter indignantis minas eundem vultum decore observet. Pudeat sciolos, quorum vox est: incapaces esse fœminas virtutum heroicarum, ineptas rebus graviter masculeqve gerendis. Privatarum mulierum ea est ignavia, ut exinde audiant seqvior sexus. Pro illustribus fœminis loqvuntur monumenta historica: contrarium evincunt, incomparabilia, Heroinarum fortissimarum, exempla. Neqve vero mihi opus est externis testimoniis immorari, aut ad Amazonum abire patriam: habemus in Te, *Serenissima Electrix*, Assyriorum Semiramidem, habemus Romanorum Camillam aut Clæliam, quas si fortitudine non exuperas, habitus tamen præstantia asseqveris. Refers qvippe vivam Reginæ Matris imaginem, MARIÆ CASIMIRÆ, incomparabilis Heroinæ; & ita quidem egregie refers, ut propemodũ ad ungvem exprimas. Reginæ vero dum recordor,

Aqvi-

Aqvilam videre mihi videor, quæ cum infert ſeſe in tractus nubium altiſſimos, eosqve volatu arduo ſuperat, ita cœteros alites, Iſta principes fœminas vincit, ut paucæ omnino ſint, quæ non perinde & Illius ſublimitatem mirentur, & ſeqvi ſe poſſe deſperent. Sed prudentius fuerit Reginæ laudes venerari intactas, quam arida jejunaqve dictione atterere. Sufficiat prudentioribus, ex Matrum ingenio judicari filias, cum dicente Lyrico; *Fortes creentur fortibus & bonis; nec imbellem feroces progenerent aqvilæ columbam.*

Hic vero mare quoddam enavigandum mihi occurrit, dum Leonum & Aqvilarum indolem cogito, tantumqve non Poetarum imitandus videtur mos, qui delati in grandia, centum ſibi ora & voces totidem conſveverunt optare. In vanum id quidem: cœterum ut gravitatem oneris, quod ſubierunt, & impar amplitudini rerum virium robur, profiterentur. Hoc tamen me ingenue fateri oportet, velle me hic lampada tradere, & quæ ſeqvuntur, alterius facundiæ narranda relinquere. Neqve enim ſatis in ea, aut vox, aut ſermo, aut oratio durat; & ſpiritus ipſe propemodum fugit dicentem. Uſqve adeo magna reſtant, quæ dici debent; tangenda ſaltem, dum multitudine obruor, & ad clepſydram damnatus, brevitatem conſector. Inſtruxit natura Leonis indolem egregiis dotibus, ut nec ſagacitatem illius mirari, nec magnanimitatem & juſtitiam ſatis efferre queam. Maxime tamen illi impreſſus eſt character Vigilantiæ, Fortitudinis, Clementiæ. Vigilantiam

ctiam somnus indicat, quem elevatis palpebris capit: unde *Zinckgreffio* nata epigraphe: *Parte tamen vigilat*; prudentissimo vero *Saavedræ: Non Majestate securus.* Fortitudinem prodit rugitus terribilis, pugnæ prænuntius; mox pugna cruenta cum fortissimo quoqve commissa. Ignominiam judicat cum inferiore componi: scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Eleganter Poeta:

— Imbelles vitulos mollesqve juvencos
Transmittit, magno furor est in sangvine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.

Orta hinc seges nitidissimis Vatibus, quorum alter Fortitudinem Leonis hoc lemmate notavit: *Fas est opponere pectus*; alter imperterritum animum tali hemistichio expressit; *Nullius pavet occursum.* Clementiam deniqve testatur mitis animus, qui ut adversantes belluas ingenti furore aggreditur: ita imbelles illas, quas coram pedibus suis prostratas ac timidas videt, mansvetus præterit. Serviant inscriptioni Poetæ verba: *Satis est prostrasse.* Advertitis *Auditores*, quo mea collimet oratio. Abrumpam itaqve, ut dicenda quæ restant, stent judicio potius vestro trutinanda, quam exprimenda dictione emedullata. Neqve hic dissimulabo, *Serenissime Elector*, pudorem meum; imbecillitas mea tam actuosæ indoli Tuæ non respondet. Tibi promptius facere, quam dicere Oratoribus licet. Ad lucem tot inclytorum factorum connivent oculi. Tuum illum victorem gladium, in cervicibus hostium tota Europa volitantem, stilus non seqvitur. Tua hæc Fortitudo

cur-

currum triumphalem per cæsos exercitus, fumantesqve urbium ruinas, celerius rapit, quam ut ejus impressa ubiqve vestigia notare liceat. Sequar tamen, parum æqvis licet passibus. Tua enim hæc est gloria, MAXIMILIANE EMANUEL, Tua hæc laus, ut in laudibus Tuis, licet toties iterentur, nec peccare adulatio, nec egere eloqventia, nec orator in inveniendo hærere possit. Et ad Vigilantiam quod attinet, quis eam non suspiciat, qui curate advertit. Nunquam non extiterunt, qui arma sua libidinis & avaritiæ instrumenta facerent: qui expilare felices, nudare pauperes, corripere omnium ac convasare fortunas, proprium maximumqve bellorum putarent negotium: qui aliena invadere, occupare non sua, jus omne collocare in armis, regiam laudem existimarent. Talia ne Tuis fraudi essent, Vigilantia effecisti, incomparabilis Heros. Defendisti Tua, non dilatasti per vim. Tueri, quam rapere duxisti satius; quodve inferre voluit excidium hostis, sagacissime averruncasti. Nihil propere, deliberato omnia suscipis; gnarus omnino, ad pœnitentiam properare, qui judicat cito; facillimeqve impingere, qui parum providet. Hæc viam Tibi ad Fortitudinem stravit, hæc ad victorias animum intendit. Magna hic memorandi mihi copia foret, quos ductaris exercitus, quas expugnaris urbes ac oppida, quas fuderis acies, quæ viceris prælia, quos reportaveris triumphos. Sed quis decem, & amplius annos, unius horæ brevitate includat? Majoribus lucubrationibus hæc relinquenda sunt, integris

voluminibus explicanda. Quod *Claudianus* de Honorio pulcherrime ſcripſit;

— — — mediumqve per hoſtem
Flammatus virtute pia, propriæqve ſalutis
Immemor, & ſtricto proſternens omnia ferro,
Barbara fulmineo ſecuit tentoria curſu;

Tibi majori jure debetur, qui rebus fortiter actis ampliſſimum gloriæ emenſus es campum. Imminebat Auſtriæ Tartarorum Turcarumqve crudelitas, lateqve ſecum agrorum vaſtitates, oppidorum excidia, direptiones urbium, fortunarum prædas, exilia civium, innocentum funera invehebat. Sed Ottomanicus ille Xerxes ſuum in Te invenit Miltiadem, agnovit Marathonios in Auſtria campos. Lunatos in prælia coegit exercitus, ſed ut Lunaticam diſceret ſuæ fortunæ conſtantiam, quando furibunda Lunæ decertantis cornua infregiſti Bavarice Leo. Primæ nempe Fortitudinis Tuæ experimentum Vindobona experta eſt, & ita experta eſt quidem, ut duriſſimæ obſidionis oblita, ne nunc quidem Martium demiretur ſatis animum. In obſcuro pulverulentæ nubis globo, in medio tormentorum tonitru, in intermicantibus gladiorum fulgetris, in ignium miſſilium telis fulminantibus quaſi, inſultabas periculis, laceſſiveras naſutum hoſtem, ibas obviam diſcriminibus, mille mortes momento adoriebaris, ſecurus aleæ, prodigus vitæ, honoris avarus. Nihil de Pannoniæ, pauca de finibus Belgii dicam, quod gubernas hodie, Hiſpanici? Videbatur ei certe ſupremum caſum jam adſtruxiſſe fortuna; ſed Tua prævertit

fortis-

fortissima Virtus, affuitq; Numen consiliis, quæ benigne inspirarat. Durant igitur hæ provinciæ, non tam viribus suis, quam Fortitudini Tuæ innixæ: durabuntqve in posterum, si neqve hæc demiseris bellicosæ Virtutis specimina, & addideris nova, quibus reficias atqve instaures, quæ hactenus quidem suffulciisti. Sufficiat tamen, *Elector*, fundasse Te Belgii cymbam interim, contra tempestates furentes, & præcavisse naufragium: cum detonuerit procella, fluctusqve consederint, non minor jactatæ navis Tibi incumbet cura, quam conservandæ fuerat ante. Ubi nunc estis maligni censores, qui iniqvi præsentibus, vetera saltem soletis extollere, & accusare nostra tempora, tanquam sterilia virtutum, & ad edenda fortitudinis exempla, effœta atq; inepta? Habemus in Nostro, quæ opponamus antiqvis ducibus, quæ Curiorum Fabriciorumqve gloriam æmulentur aut æquent. Sed tantus bello cum sis, quis Te Clementia existimet minorem esse in toga? Aperta Tibi mens est, sincera, candida; non recondita, non tecta, aut fallax. Procul Tiberianæ artes, & quicquid ille pestilentiæ ab Hetruria doctor, instar Circei poculi instillatum ivit Principibus, ut exstincta in iis leonina indole, lupinam vulpinamqve induceret; & Palatinæ Minervæ, hoc est, generosæ prudentiæ loco, nescio quod ex fraude sævitiaqve conflatum in aulis dedicaret idolum. Convitium fuerit, clementem dici, qui immitis & asper est: nec, nisi per contumeliam, durus ac barbarus, vocabitur bonus. Mimica hæc sunt, quæ adulatio humilibus, aut

terror

terror miseris exprimit. Clemens audiat Noster, talem enim experiuntur Cives: bonus audiat Noster, hoc nomen apud felices, hoc apud evolutos fortunis meruit. Hos titulos nobis, non assentatio, non metus fingit; affectus, amor, veritas suggerit, pietate & clementia Principis provocata. Macte hac indole, *Magne Elector*, quam & naturæ Tuæ beneficio debes, & juxta pulcherrime contendis, ut Aqvilarũ connubio immixta, harum sangvine augeatur ac crescat, simul excelso earum remigio feratur ad astra.

Excurrerem hic in parem Aqvilæ Sarmaticæ indolem, nisi me hæc ipsa admoneret consciæ tenuitatis, juberetqve memorem esse, non nisi temerarium Oratorem eum alitem seqvi, cui soli datum est, ut Poeta dicente, *negata tentet iter via.* Subsistam proinde, & vel e longinquo positus mirabor volatum, cui rotunda epigraphe prælusit Maro: *Viamqve affectat Olympo.*

Ite MAXIMI PRINCIPES, *quo arctissime ligatos propellit amor, invitat cœlum, vota publica certatim seqvuntur. Necdum Leonis domum Sol in Zodiaco deseruit, sed nec Solem deseruit Aqvila. Accipimus omen fortunatissimi Neonymphi. Hærebit Aqvila Sarmatica in Leone Bavarico defixa: Solis Justitiæ opus erit, mutuis amoribus ita uniri. Qui vos amor hodie jungit, ad senium inviolatos deducet. Non eum jurgia, non fastidia, non ægrarum suspicionum cura libabit.* THERESIÆ CUNIGUNDÆ *inter liberorum nepotumq; cuneos exultantis imaginem, sæpe pro Cybele bonus posteritatis error accipiet. Renovabit Aqvilæ senectam in grandævo Parente Vestra felicitas. Vestris pignoribus donatus ætatem trahet. Mistus Bavarico Sarmaticus sangvis, feret æmulam Parentibus prolem; hinc novus dicendi campus (huc pennas, huc sepias vestras Oratores!) Eloquentiæ se aperiet. Nec de fama dubitate. Hanc præstabit æternam pennæ remigium, quam per orbem terrarum sparsam, nulla vis, nulla temporum ætas extingvet.*